Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1997
Quelle:
Copyright:

1530. Perorat Noſter: *Prolixius de libero Arbitrio egi libris duobus contra Lutheri propugnatorem Philippum Melanchtonem iam pridem, ad quos adhuc nemo eorum reſpondit.* Hinc liquet, III. illos Libros nequaquam foetum eſſe *Joh. Fabri*, ſed τȣ Συμμαχȣ illius *Joh. Cochlaei;* hic enim *de Libero Arbitrio Libros* II. ſcripſit contra *Melanchthonem*, qui mihi in edit. anni 1525. *Lipſiae*, ut videtur, curata 8. objacent. An autem noſtri III. lucem unquam viderint, dicere non habeo. Dein ſequuntur *Articuli* erronei *Picardorum Vualdenſium 17. Pauperum de Lugduno 25. Dulcini Nouarienſis* (V. Spondanum ad a. 1307. et Muratorii T. IX. Scriptt. Rer. Ital.) 22. *Eylardi Bremenſis* mihi penitus ignoti 12. *Patarenorum et Albanenſium* 20. *Huſſitarum et Taboritarum* 37.

Vol. VI. habetur Reſponſum a *Carolo* V. datum 2. *Aug.* 1530. iis qui Confeſſionem *Auguſtanam* obtulerant, et quidem idiomate latino et germanico, prout indicavi *Vol.* I. P. 2. *col.* 1791.

Vol. VII. iterum habet Polemica. 1) Reſponſum germ. ad *Ulr. Zwinglii* Epiſtolam: *Uber den erdichten, vffrierigen vnnd vnwarhafftigen Ulrichs Zwinglins meiſters zu Zürich ſchmachbrieff an doctor Johann Fabri kurtzlich vſsgangen erber beſchaid vnnd eetlich antwurt.* Ex ingreſſu patet, ad an. 1526. pertinere, quo *Sex Articulos* propoſuerat *Zwinglio*, ad quos ille cum ſtomacho reſponderat. Vide *Scriptt. Univ. Vien. cit.* p. 65. ubi *Thom. Murnerus* O. M. et *Articulos*, et *Reſponſum* noſtrum latino compendio reddidiſſe dicitur *Lucernae* 1528. 4. 2) Opuſculum de Fructibus Haereſium, quod incipit: *Quando Seruatoris noſtri J. Chr. teſtimonio arbor, bonane, an mala ſit, e fructibus cognoſcenda venit* &c. Imperfectum. 3) Stricturae in *Eraſmi* et *Lutheri* varias ſacri Verbi interpretationes numero 897. abruptae. 4) *Lutheri Antilogiae*, ut ſupra. 5) Opuſculum *n.* 2. adductum germanice.

Vol. VIII. continet 1) *Catecheſin pro Maximiliano Ferdinandi Regis filio*, id eſt, Loca V. praecipue Teſt. ad Principis inſtitutionem facientia, quorum expoſitionem oretenus dandam *Faber* ſibi reſervaſſe videtur. 2) *Praefationem* in Libros III. *de Fide et Operibus*, qui extant *Fabri Opp.* P. II. edit. *Colon.* 1537. f. ad *Bernardum a Gleſio* Card. Ep. *Trident.* 3) *Cenſuram ſuper noua apud Morauos Piccardorum et cuiusdam indocti impiique Habrowanſky ſecta* &c. quam jam *Vol.* I. P. 2. inter *Fabri Adverſaria* indicavi. 4) Ejusdem Librum *de Edictis ac Mandatis Regum* &c. *aduerſus hereſes et earundem Autores*, qui extat edit. *Colon. cit.* P. III. 1541. 5) *Sermones* de Feſtis SS. quorum primus *in die omnium Sanctorum.* Additur: *Centuria ſecunda;* unde ineditos habeo; *Centuria* enim *prima* impreſſa eſt *Opp.* T. III. *Colon.* 1541. 6) *Apologia Joannis Fabri Epiſcopi Viennenſis aduerſus effectam a Lutheranis*